

19.

In festo Nativitatis S. Johannis Baptiste.  
Ad Vespertas.

1. Ut queant laxis resonare fibris  
Mira gestorum famuli tuorum,  
Solve polluti labii reatum  
Sancte Johannes.
2. Nuncius celso veniens Olimpo  
Te patri magnum fore nasciturum,  
Nomen, et vitae seriem gerendae  
Ordine promit.
3. Ille promissi dubius superni  
Perdidit prompte modulos loquele;  
Sed reformasti genitus perempte  
Organa vocis.
4. Ventris obstruso positus cubili  
Senseras regem thalamo manentem;  
Hinc parens nati meritis uterque  
Abdita pandit.
5. Gloria patri geniteque proli  
Et tibi compar utriusque semper  
Spiritus alme, Deus unus, omni  
Tempore secli. Amen.